

narum exsiccatarum. *Hieracium sylvaticum* var. *montanum* (caule unifloro, planta spithamæa). *Hieracium sylvaticum* δ . (Læst. V. A. H. 1825); *Hieracium murorum* β . *collinum*, (Læst. l. c.), aliæque formæ montanæ ejusdem generis. *Leontodon Taraxacum* var. *laevigatus et obliquus* (Fries Nov.), *Apargia autumnalis*, var. *foliis pinnatifidis*, pinnis lanceolatis; quæ omnia nimia siccitate et sterilitatæ macerata, folia rite explicare nequeunt. Horum folia in uliginosis rursus confluunt, unde *Leontodon palustre*; *Apargia autumnalis* var. *salina*; item *Carduus heterophyllus*, foliis pinnatifidis, locis siccioribus, etc. Cum his comparari possunt, *Carex limosa*, var. *irrigua*, locis siccioribus ad margines paludum, et var. *rariflora* locis exsiccatis et turfosis; *Carex dioica* var. *parallela*, solo sobuloso duro et celeriter exsiccato, cujus folia hanc ob causam abbreviata, et canaliculata, in aquosis rursus confluunt, et una cum caule filiformes fiunt, sicut multa alia vegetabilia, gracilescere solent in aqua. Sic *Carex dioica* α . foliis canaliculatis invenitur locis duris et exsiccatis, cauleque sulcato; (triquetrum vero numquam vidi). Quod autem ad capsulas attinet, non est obliviscendum, quomodo *Carex canescens* capsulis deprehenditur angustioribus et acutis in siccioribus locis; in paludibus autem profundis capsulis late ovatis legitur, pari moda *C. dioica*, in palu-